Golaſkj Astitio.

Nobilis Andreas Golaſkj Actorea et iure vincens pars Nobilem Joannem Kaznowskj tanquam impossesionatum golotam et odardum de persona bonisque eius mobilibus ad satisfaciendum sibi pro condemnatis in lucro concitatum per Magnificum Generalem Regni Nobilem Joannem Zaleskj iudice ad Judicium praesens Capitaneale Castren. Lublinen. Ad instanciam supradicti actoris quatuor vicibus ultra iuris communis formam vocatum et non comparentem. In termino hodierno peremptorio concitatorio astito pro celebratione Terminorum Judicialium praesentium incidentium, Judicialiter condemnavit iuxta suam concitationem infrascriptam tenoris talis.

Joannes Firlei a Dambrowica Capitaneus Lublinen. etc. Tibi Nobili Joanni Kaznowskj tanquam impossesionato goloto et odardo de persona bonisque tuis mobilibus Mandamus vigore Regio et nostro Capitaneali ex officio ut coram nobis seu Judicio nostro Castrensi Capitaneali Lublinensi in Terminis Judicialibus feria Secunda ante festum Sancti Thomae Apostoli et Evangelistae proxime ventura in Castro Lublinen. celebrandis aut iis deficientibus tandem in proxime post tempus praefixum venturis Ad instanciam Nobilis Andreae Golaskj personaliter ac peremptorie compareas qui te recedendo a citatione sua contra te ratione praemissorum racione edita qua te concitaverat et nunc concitat alias przypowiesca ad solvendum et satisfaciendum sibi pro his omnibus pro quibus te in Terminis Judicialibus in Castro Lublinen. proxime praeteritis in toto suo lucro pro toto ex admissione Judicii nostri Judicialiter condemnavit iuxta suam citationem contra te ad translapsum terminum editam qua te citaverat et nunc citat pro eo. Quia tu anno proxime praeterito in eundem actorem sine ulla causa irruendo eidem vulnera primum in sinistram partem capitis cruentum sectum magnum Secundum in verticem capitis cruentum sectum magnum. Tertium in scapulam sinistram cruentum sectum. Quartum in tibiam manus sinistrae cruentum sectum Quintum in digitum medium manus sinistrae cruentum sectum Sextum in digitum filium manus eiusdem circa unguem cruentum sectum. Septimum et Octavum in digitum

pollicem

pollicem manus dextre cruenta secta. Nonum in digitum medium manus eiusdem dextre cruentum sectum parvum. Decimum in articulum digiti tidij manus dextre cruentum sectum. Vndecimum in digitum auricularem manus dextre cruentum sectum parvum. Duodecimum supra cubitum manus dextre cruentum sectum vi et violenter intulisti et inflixisti in quibus vulneribus vult te convincere. Quod sibi contra te pensat ad Sexcentas marcas pecu[niae] com[mun]is et totidem damni vel prout Judicium decernet sis Judicialiter ad premissa responsurus pro condemnatis in lucro satisfacturus Datum in Castro Lublinen[si] feria sexta ante festum Sanctae Catherinae Virginis proxa Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Duodecimo.

In vim autem satisfactionis pro lucro vigore Astitionis termini praesentis concittorij ad affectationem partis actor[is]. Iudicium praesens Cap[ita]le Castren[se] Lublinen[se] decrevit vt concittus tanquam invictus Taxam Sexcentarum marcarum polon[icalium] super eodem concitto lucratam parti actoreae parata pecu[nia] coram Judicio praesenti persoluat atq[ue] decreto praesenti realiter ab actu hoc in decursu duarum septimanarum satisfaciat aut fideiussores Nobiles possesionatos statuat quod praesenti rei iudicatae in decursu sex septimanarum satisfaciet In casu vero non satisfactionis Decreto praesenti. Judicium p[rae]sens Cap[ita]le Castren[se] Lublinense causam praesentem ad Judicium proprij fori pro vlteriori processu et finali exequtione facienda iuxta praescriptum iuris contra impossessionatos laudati remisit Decreti praesentis vigore.

Stepkowski Astitio

Nobilis Valentinus Stepkowski dictus Stechkowic in Stepkow sortis suae haeres Actor Nobilem Catherinam Olbierzowska tanquam impossessionatam ad satisfaciendum pro condemnatis in lucro concitatum per Milem Gnalem Regni Nobilem Joannem Zaleski iudice ad Judicium presens Cap[ita]le Castren[se] Lublinen[se]. Ad instanciam suprasc[rip]ti actoris vocatam et non comparentem. In termino hodie peremptorio concitatorio astito pro celebratione Terminorum Judicialium praesentium incidentium iudicialiter condemnavit iuxta suam concitationem infrascriptam tenoris talis.